

- In personarum dramate
Uno cantemus de bove.
4. Natis natus ridiculis
Est rusticus de rusticis;
Natura fecit hominem,
Sed fortuna mirabilem.
 5. Gravis fati commercio
Boves emit pauper homo,
Sub exemplis agricolae
Terram laborat scindere.
 6. Eventus per horribiles
Nunquam ducit duos boves,
Nec simul pungit stimulo
Nec uno ponit sub jugo.
 7. Frustra fortunam vincere
Sua certat pauperie,
Duro fatorum stamine
Boves perdit assidue.
 8. Sequax unius fit bovis,
Excoriatis reliquis,
A vicinis deluditur:
Unus bos miser dicitur.
 9. Tristis sors mugientium
Bovem rapit novissimum,
Jam res minor fit elegi
Egestate vocabuli.
 10. Exinanito nomine,
Evacuato bostare,
Tergus disponit vendere
Denudato cadavere.
 11. Corpus linquit quadrivio,
Sumpto bovis amphibalo,

12, 2 pestem

23 *